

## PARTIS I TRACTATVS III

& vxores dirigant in viros: & qd ante mundi cōstitutionē: animā in cōlestibus fuerint. Et in de ob quāsdā causas soli deo cognitas. in vallem hanc deductā sint lachrymarū: & qd corpori mortis inserta sint: & qd in fine sēculorū omnis natura rōnabilis in vnū corpus restitua: sicut ab initio fuit: ita & homo ad paradysum reuocet: & angelus refuga supra Petrum & Paulū: cui ipsi ad paradysum: vtpote homines: ille ante id qd ex initio creatus est: reparet: & fiant omēs similes ecclesia primitiuorū in cōlestibus: & sint dum in officijs quidē singulis quibusq; sunt membra Christi. Vniuersitas vero cūctorū perfectū Christi sit corpus. Hęc tenentes o fideles: prudētēsq; discipuli & istas meas indubitas diffinitōes custodientes. Origenē tñ p his ipis dictis cōdemnantes bene agetis: valete. Vides quia totū cum irrisione agis: Et pœnitere te ideo dicis: vt fallas eos quibus scribis: Nam & si vere te pœniteat (vt debet) quid facies ob omēs illas animas: quas per tot annos hęc tua tam venenata (vt ipse ais) doctrina decepit: Deinde quis vnq; per tuā pœnitentiā emendabit: cum iste ipse libellus: in quo & pœnitens & accusator & iudex es: auditores tuos rursum: ad hęc ipa & legenda & tenenda transmittat: Ad vltimū etiā si hęc ita non essent: ipse tñ tibi etiā post pniām omnes aditus veniæ præclusisti. Ais enī etiā ipm Origenē pœnitentē se p his dictis: libello pœnitentiæ ad Fabianū tunc vrbis romanæ episcopū dato: & tñ post pœnitentiā: post centū & quinquaginta annos mortis suæ in ius eum trahis: & ad dānationē vocas. Quomodo ergo p his dictis tibi veniā dabit pœnitenti: si ille qui ante te p his pœnituit veniam nō meret: Similiter vt scripsisti: scripsit: vt pœnituit: pœnituit. Aut similiter p pœnitentiā de betis absolui aut si negas veniā pœnitenti (qd ego non opto) tu perurges nos pariter condēnari.

Io. 18. scd m quāndā euangelij parabolā. Oblata est dño a iudæis adultera vt viderēt quid de ea scd m legem iudicaret. Ille misericors & miserator ait dñs: Si quis vestrū peccatū non habet: mittat sup eam lapidē: & tunc omnes inquit discesserūt. Et iudæi quidē licet impij & increduli tñ erubuerunt cōscientias suas: ne cum ipi essent pccōres: in pccōres viderent vlcisci. Et latro ille de cruce dicebat ad alium latronem: qui simul pendebat in cruce & blasphemabat: quia nec deum times vel qd in eodem nos sumus iudicio. Nos cum eadem quæ in nobis sunt: cōdēnemus i alijs: nec cum iudæis erubescimus: nec cum latrone mitescimus.

Argumentum secundum libri eiusdem Ruffini.

**H**oc secūdo libro sub apologiæ specie Ruffinus in beatū Hieronymū maledicta cōgerit dicens: Cum libellis suis eo maxime qui de virginitate scriptus est: omnē ordinē ecclesiæ lacerare: sanctū Ambrosiū carpere: omnes scriptores ineptiæ aut imperitiæ accusare: perituri quoq; detestabile cōmittere: qui cōtra abiurationē: non solū libros sēculares legat: sed illis se iactet & efferat impio Porphyrio: & Baraba præceptore glorie: & in deum blasphemus fuerit: quem socium habere dixerit Origenē: quem improbat decem præfatiūculis in cōtūm extulerit: & apostolis cōæquarit: & vetus testamentū quod apostoli cōmendarunt: noua translatione subuerit.

Incipit secundus liber controuersarum Ruffini contra doctorem præclarissimū beatum Hieronymum. EPISTOLA .XXXVI.

**S**uperiori quidē libello dogmaticas eius obiectiones: quas alijs impingit imerito: in se ipm testem retorsimus: nūc vero iam explicitis: & post tergum reiectis his quæ fidei vicinæ sunt causatiōibus: cōfidentius ei de cæteris terminatiōibus respōdebimus. Est enī etiā illud accusatiōis eius grauissimū caput: qd similiter vt cætera mendacia veritatis falce refecandū est. Ait enī cōcederatos esse quosdā Origenē ad perituri. Et istud mystice eius traditiōis archanū absconditū: esse in sexto stromatū libro: nec ab vlllo alio inter tot sēcula nisi a se solo deprehensum. Verum ne risum ei moueā: si susurrādi sacramēto alienum me esse cōfirmem: a cōcederatiōe perituri planiore via ad manifestatiōē veritatis incedā. Et ei qd facillime pbare possum: nec habuisse me vnq; libros istos: nec ante legisse a quoq; præfatos. Et sicut non possum excusare de eo qd quale sit nescio: ita nec accusari quidē possum de eo: qd vel si sit: penitus ignoro. Ille tñ qui arguit vel ab illo traditū: vel a discipulis eius dicit: qd scriptū est: Qui loquitur veritatē cum pximo suo: pximus non sit nisi ille qui perfectus sit & symmistes. Et iterū qd apostolus dicit: Quia sapientiā loquimur inter pfectos: & qd scriptū est: Nolite sanctū dare canibus: neq; mittatis margaritas vestras ante porcos: vt asserat inquit per hęc veritatē nō omnibus aperiendā. Videamus qd ipse in istis electis cōmentarijs libro scd'o sub eo caplo vbi scriptū est: Propter qd deponētes mendaciū loquimini veritatē vnusquisq; cū pximo suo: qm sumus inuicē mēbra post pauca: ppter qd inquit Paulus ipse pfectus in alia ep̄a loquebat: sapientiā aut loquimur inter pfectos. Ergo hoc est qd iubet: vt vnusquisq; mystica atq; secreta & ea quæ veritate dei

ps. 27.

1. Cor. 2.  
Mat. 7.